

NVMMVS VOTIVVS

ANTONII PERENOTI CARDINA-

lis, Episcopi Atrebatensis: Cusus sub Albani Ducis
in Belgium discessum: Anno
Christi 1567.



D. Belgas in ordinem redigendos, primo quidem ipse proficisci in Belgium statuit Philippus Hispaniarum Monarcha: paulò post tamen, profectionem nonnullis dissuadentibus, sententiam mutat: Ducemque Albanum executioni deligit: utpote tali negotio comprimis idoneum: militiæ expertem: Belgici populi, morum, regionisque totius situs non ignarum. Priusquam ex Hispania discederet, *Pius V.*

Pont. Max. religionis zelo motus, per Antonium Perenotum,

Granuellanum Cardinalem, Episcopum Atrebatensem, sanctam ei rogam cum gladio & vexillo, pro strenua defensione Ecclesie Romanae, atq. propulsatione irrumpentis Auriaci, solenniter offerri curat. Dono hoc plurimum lætatus, cum Hispanorum militum maximo numero, & duobus filiis Friderico & Ferrando à Toledo Barcelona navem conscendit: felicique usus navigatione Genuam applicuit: paulò post Astam venit; cum ipsius copię circa Duriam fluvium stativā haberent. Albericus interim Lodronius tria Germanorum peditum millia & quingentos equites, Augustæ Vindelicorum colligit, proceditque obviam Albano Namurium usque. ne trajiciendis fluminibus, prius ab hoste opprimeretur, quam in Belgium perveniret. Albanus Lotharingiam egressus ad Theonvillam substitit, inde per Luxemburgum Namuriumque proficiscitur, ubi junctis cum Lodronio copiis

Bruxellas versus iter intendit. *Richardus*

Dinothus: Meteranus.

